



Bugislaus filius fuit Erici ducis Pomeraniæ ex Sophia uxore. Hic cum fœlici esset ingenio præditus, in bonis literis educatus fuit, eo proposito, ut aliquando sacris initiaretur. Cum itaq; Ericus cum fratre Vuartislao sine alijs hæredibus Anno 1497 decessissent, Marchio Brandenburgicus eam regionem occupare statuerat. Itaq; cum Stetinensis de hac re agere coepit. Verum ipsi Bugislaū, qui ad Rugisuuald operam studijs nauabat, domū reuocarunt, atq; adhortati sunt, ut alijs rebus relatis auitas ditiones administrandas susciperet. Itaque Bugislaus eorum consilium secutus rerum gubernacula adiit, atq; primò Margarethā marchionissam, deinde Annam regis Poloniæ Cazimiri filiam uxorem duxit. Fuit is egregius princeps, atq; pietati & uirtutibus deditissimus. Vnde apud pontificem Alexandrum sextum impetravit, ut Pomeraniæ principes posthac suæ regionis Episcopum nominare & constituere possent. id quod tum singulare priuilegium ducebatur. Cum hoc modo Bugislaus totā Pomeraniam per 30 annos magna laude gubernasset, anno 1517 obiit, atq; Barnimū filium successorem reliquit. Monst. lib. 3. Cosmog. de Germania.